



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes,  
Soliloquia et Manuale**

**Augustinus, Aurelius**

**Coloniae Agrippinae, 1649**

Contra amorem divitiarum, 33

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](#)

oculo pietatis & misericordiæ, & mihi misericorditer ignoscere. Aufer à me amorem sœculi; & da mihi gratiam, ut te amem & diligam corde & opere: nec ab amore tuo separer, sed in ipso permaneam in perpetuum, Amen.

## CAPUT XXXIII.

*Contra amorem divitiarum.*

1. **C**erta experientia didici (benignissime Domine Iesu Christe, sine mensura in amore dives) quod nihil laboriosius est in hoc mundo, quam terrenis æstuare desideriis. Nam terrenarum divitiarum amor insatiabilis est; & longe amplius desiderio torquet animam, quam refrigeret usu suo. Talium quoque divitiarum acquisitio, magni laboris est; possessio magni timoris: & amissio, magni doloris. Qui illas amat, te Dominum amare non potest! sed cum ipsis labentibus, labitur in perditionem: & qui eis innititur per amorem, cum ipsis defluit in mœrem. Qui enim eas invenit, requiem perdit; & cum vigilat, augmentum cogitat: cum dormit, fures somniat. In die est afflatus, & in nocte pavidus, semper autem mendicus. O clementissime Domine Iesu Christe, cuius amor nullum fallit; video per effectum, quod laqueus est in auro, viscum in argento, & pedica in prædio. Quia qui aurum petit, strangulatur; quia argentum, visco hæret: & qui prædia, alligatur. Qui mane quærit lucrum, vesperi reperit animæ detrimentum, & sic deperit quicquid egitur.

2. Ad

2. Ad tuum Domine extremum judicium  
sine ulla temporis intercapidine & continua  
volens nolens properat : & amat quod nece-  
ssario relinquit ; id vero negligit, ad quod ne-  
cessario pervenit. Amat namque illa , quæ  
possessa onerant, amata inquinant, & amissa  
cruciant, quæque arctius parta quam concu-  
pita constringunt. O misericordissime Do-  
mine Iesu Christe , qui solus vere amandus  
es, ego nefandissimus peccator, quæ scripsi &  
scribo , scivi & veraciter scio talia esse. Sed  
tanta est malitia mea & iniquitas , ingratitu-  
do & superbia , quod omnia tibi placita con-  
silia & præcepta tua protervo animo contem-  
psi & sprevi ; & ad miseras divitias mundi,  
cor meum penitus inflexi. Illas concupivi &  
desideravi : & ut eas acquirerem , laboravi ,  
& ad hoc ipsum vigilavi ; & quascunque vias  
adinvenire valui , adinveni. O piissime Do-  
mine , adjuvare me digneris , & delere tua  
maxima misericordia omnia peccata mea ;  
segregare mentem meam à desideriis terre-  
nis ; elevare illam ad divitarum cœlestium  
desiderium, quæ in solo tuo consistunt amo-  
re : ut eas auxilio tuo consecutus te perpetuo  
diligam , & tuo amore fruar in sæcula sæcu-  
lorum, Amen.

## C A P V T XXXIV.

*Contra amorem perversum mulierum.*

I. **A** Mor carnalis ( benignissime Domine  
Iesu Christe, spiritualis amator, & vere  
in spiritu & spiritualiter amande ) insatia-  
bilis est. Quia extinctus reaccenditur , &  
post